

loculenter aditum denegastis. Eecce quæ pars vestra commiserit vestris non sunt incognita mentibus; et tantum a vobis injuriæ acerbiter vehebentibus insuper vestrorum ad præsentia inclyti domini mei legatorum, vestri simulando litteris, viam aperire conqueritis. Videat altissimus a cœlesti solio princeps hanc causam; et divina partem ultione confodiat qui injuste parti alterius visus est conferre molestiam, et qui charitatem respuendo pacem excelsæ potestatis violaverit captiose dilectam. Licet dum filiorum regum idemque vestrorum litteras accepissem, eorum protinus reformavi rescriptum quod si memorati gloriosi principes acceperunt, sive in vestra fuerit cognitione deductum, nullo denuntiante comperimus. Sed et vestræ itaque honorificentie declaramus, si remoto simulationis pacem typo servare desideratis, quæ dominio maxima sors esse cognoscitur, et Christum diligenda concordans cum Gothis corde aptatis permanere devoto; non oportet ut ea tantum labiis fallentibus proferatis, sed pacem quam nobis servantibus ipsi prius irruere, perfectis demonstrandum operibus demonstratis. Dignum est vestri ut primum in sua dignitate Gothorum restituantur legati; et inter affinem sanguinis gentem servantem pacem, Domino adjuvante, vestrorum, si necesse

est, ad præsentiam gloriosi domini mei libertas maneat itineris legatorum. Nam de locis unde intimastis Jubiniano et Corneliano, quæ in provincia Gothorum noscitur domna Brunigildes possedisse, ut suis post ejus jure aditum tribuamus hominibus; ordinandam miramur tuam sic nos hortare beatitudinem, ut loca quæ pro stabilitate concordie sanctæ memorie dominus noster Recharedus rex in jure memoratæ contradidit domnæ (ut) a partibus vestris scandalum nutrientibus scœdus sit charitatis disruptum: et pars jura quæ stimulum illicite suscitavit, jura debeat gentis possidere Gothorum. Arbitror enim ut ea quæ pars vestra injuste noscitur admisisse, si emendare malueritis, poterit gentem vestramque in charitate connexam, eadem suo jure domna Brunigildes defendere loca. Te quippe, beatissime vir, dum hactenus benignis animis, et sæcularibus vigilantem studiis, nimisque formidare omnipotentem meminimus? Quomodo cures si tantis temporibus charitas utriusque illæsa agentis es Deo dicatus antistes a principibus, ut quæ pax olim a prioribus gentium utrarum gentibus colligata, nunc maneat dissoluta, dum vestro debuit ex consilio in perpetuum existere roborata?

ANNO DOMINI DCX.

## PAULUS EMERITANUS,

DIACONUS.

### NOTITIA HISTORICA IN PAULUM EMERITANUM.

(Antonii Bibl. Hisp. Vet. t. I, p. 373, n. 211.)

Hujus temporis Paulus ille est Emeritensis diaconus, qui de Vita et miraculis Patrum Emeritensium librum nobis reliquit. Hunc a multis desideratum primus edidit Barnabas Moreno de Vargas Emeritensis urbis decurio, qui ejusdem quoque historiam conscripsit, Matrili anno 1631 in-4°. Deinde iterum D. Thomas Tamaius de Vargas, vir clarissimus, ad veteres cum Gothicæ tum Latinæ scripturæ membranas collatum, ac propriis notis illustratum, Antuerpiæ apud Joannem Meursium 1638 in-4°. Octo scilicet exempla is ad manus habuit, quatuor Gothicis litteris, totidem Latinis exarata. Ambrosius Morales in scholis ad sancti Eulogii Toletani episcopi et martyris caput primum libri II Memorialis sanctorum, alterius quoque ejusdem operis meminit. *Paulus hic Emeritensis* (Act. Hisp. illust. tom IV, p. 282) *diaconus, cum Emeritensis Ecclesiæ et antistitum ejus historiam scripsisset, tum etiam de aliis sanctis viris quædam adjunxit, exstat etiam ejusdem confessio catholica (a). Quæ duo opera mss. non*

*parum antiqua in S. Ecclesiæ Toletanæ bibliotheca habentur, eadem multo vetustiora in nonnullis aliis bibliothecis conspeximus. Laudant Pauli hanc historiam, cum idem Morales aliis locis (In Prolegom. tom. II, sub titulo Las ayudas que tuvo, et lib. XI, c. 72), tum alii, tam nostri quam exteri scriptores (Baronius ad ann. 589 tomo VII. Mariana lib. V, cap. 13. Padilla cent. VII, cap. 17, pluresque alii, quos Tamaius collegit in principio Notarum). Inter quos Hieronymus Romanus Augustinianus de Republica christiana agens lib. I, cap. 15, in suis Mundi rebus publicis, quoddam hujus operis exemplum manu se redemisse ait, et veluti ex Orci faucibus eripuisse a quodam bibliopola Complutensi, dum perdere id jam vellet; atque cum aliis libris Toletanæ Ecclesiæ donasse. Eaque eo videtur proposito ab auctore formata, ut exemplis rerum domi, hoc est in urbe Emeritensi mirabiliter patrarum fidem eorum confirmaret, quæ de Italiæ suæ miraculis sanctus Gregorius libris IV Dialogorum collegerat. Quos*

(a) Diligenter evolvi cl. Andreae Marci Burriellii excerpta e bibliotheca Toletana quæ in regiam Matritensem concessere; tum uostra, atque Escuriana

lenses mss. catalogos, si forte in hanc Pauli Emeritensis Confessionem catholicam incidere. Sed frustra fui.

libros non alium habuisse auctorem præter alia argumenta (de Dialogorum S. Greg. lib. v, Labbæus de Script. tomo I, pag. 391; Mabillon., præfat. ad Acta SS. Benedict., § 2, tomo I), non Isidorus tantum in libello de Scriptoribus ecclesiasticis, sed et in

A prologo Paulus noster, ejus sancti pontificis æqualis, egregie comprobant. Late agit de aliquot Emeritensium pontificum, præsertim Pauli, Fidelis et Massonæ, rebus gestis.

## AD EXTERUM RES HISPANAS AMANTEM.

*Hispaniam nostram cunctis sæculis ingeniorum alticem non, opinor, tam caudex erit, qui ignoret; non tam invidus, qui contra contestatam et inconcussam tot monumentorum fidem inficiri audeat. Mitto antiquissimos, qui apud Strabonem (Geog. III) inter Hispaniæ populos sapientia putabantur excellere, et litterarum studiis utebantur, et venerandæ vetustatis volumina habebant; poemata, leges quoque versibus conscriptas e sex annorum millibus, ut aiunt. Cæteri enim Hispani usum habebant litterarum non uno quidem genere, nec una illis lingua. Mirum certe in iis, quibus semper*

..... Omnia in armis  
Lucis causa sita, et damnatum vivere paci;

*teste Italico (Punic. III), Hispano vate. Pacatis quippe et togatis artibus florere inter sagorum usum et armorum strepitum a natura inditum, non exemplo comparatum est. Mitto etiam illam felicissimam scriptorum Hispanorum segetem, quæ ab Augustæo ævo ad Neronianum ipsos*

Romanos rerum dominos, gentemque togatam,

*cum sacundissimos oratores, et clarissimos vates illis Hispania pepererit ut Latinus Pacatus Panegyri. ad Theodosium Aug. nostrum ait, omnigenæ eloquentiæ professione admirata est. Unde semper cum ingeniorum principe Augustino (VIII de Civit., c. 41) Hispanos sapientes possumus appellare. Illorum etsi multa præclara ingenii monumenta satorum livore perierint, pleraque tamen propitiante bono ipsorum genio cum feliciori cupiscunque gentis hac de re proventu, satente invidia, possunt comparari. Ex iis præter tot millia, quæ in pretio apud omnes et fructu sunt, non pauca in antiquissimis rarioris notæ bibliothecis hactenus delitescunt, quæ ab eruditibus cognita et laudata, majus de se aliis excitarunt desiderium. Aliquot G. Loaisa, A. Morales, J. Mariana, atque doctrina et auctoritate præstantes viri communis juris reip. causa fecerunt. Aliquot etiam ego cum tineis adhuc et blattis incredibili rei litterariæ damno rixantia, e tenebris eruta, ad vetustissimas membranas composita, et notis illustrata, editioni parata habeo. Quorum quidem catalogum hic libenter merito texerem, ni piceatus et tagaces quorundam ardelionum manus timerem, quos Harpyiarum more in modestiorum sibi que dissimillimorum scrinia involantes*

Convectare juvat prædas et vivere rapto;

Quippe quibus,

..... foedissima ventris  
Proluvies, uucæque manus. ....  
(Virg. in Æneid.)  
..... Rostra apta rapinis,  
..... Unguibus hamus iustæ.  
(Ovid. VI Fast.)

*Verum enimvero Carnam sive Cardineam nympham Kal. lun. suillo lardo veteri ritu (Ovid. VI Fast.) placabo. ut vel hos Fidentinos (Martial. I, epig. 30, 54, 73), Autolycos (Homer. Iliad. x, Odys. λ, et Ovid. VI Met.), Cleptas (Plaut. Trucul.) Æsopi graculos (Horat. ad Pison.) et*

Bonorum malas carminum lavernas  
(Auson. ad Th.)

*averruncet, aut saltem præsentem audacissimis*

Imponat plagiaris pudorem.  
(Mart. I, ep. 53.)

*Certe, etsi innocuæ librorum licentiæ*

Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla  
Pestis et ira deum Stygiis sese extulit undis;  
(Virg. Æn. III.)

*Naturæ tamen melioris beneficio ita comparatum habemus, ut quoties hæc*

Turba sonans prædam pedibus circumvolat uucis,

*et alienas, et utcumque harpagatas effrontissimo*

Polluit ore dapes; .....

*exemplo indicio suo ipsa editionis sæditas et errorum seges*

..... Traducit manifesto<sup>a</sup> carminis furto.

*Experimento apud nos heri et nudius tertius didicimus; hodie etiam timemus. Verum dum illi ementatæ et emendicatæ samæ larva circumferuntur, nos veris in remp. litterariam et in patriam meritis, de utraque (uti hactenus et fortasse an non inutiliter fecimus) optime mereri σὺν θεῷ non desinemus.*

## EXEMPLARIA PAULI AB EDITORE COLLECTA.

1. Ex ecclesiæ Toletanæ bibliotheca litteris Gothicis exaratum.

2. Gothicum ex bibl. Regia Hieronymiana apud Scoticum. Existimo olim fuisse ex Carazedano S. Valerii monasterio. Vidit etiam Amb. Morales

vir cl. et de Hisp. optime meritis, nostri regii muneri ascecla. Plura hic sunt Pauli exemplaria Latinis litteris exscripta, quæ non otii nostri fuit illa omnia conferre.

3. Ex Bibl. illust. D. Joannis Bertrami a Guevara

<sup>a</sup> Al. *crimins*. Utrumque in exempl. Mart. I. b. I, ep. 54, legitur, et utrumque prædones nostri committunt